



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 20. Affectus Animae amantis Deum

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, quibus me cūnu-
lare dignatus es. Pone, Domine, passionem & mortem tuam
inter iudicium tuum & animam meam, nunc & in hora
mortis meae, & mihi largiri digneris gratiam tuam, & do-
num perseverantiae, Ecclesiae tuae pacem, & concordiam,
vivis veniam & requiem defunctis. Qui vivis & regnas
Deus per omnia secula seculorum. Amen.

§. XX. *Affectus Anima amantis Deum.*

Domine Deus, qui lucem habiras inaccessibilem,
principium omnium, & ultimus finis, qui me
creasti ex nihilo, constituisti mihi terminos vitae huius
mortalis, quos præterire non potero, ut amem te & ser-
viam tibi, donec ad aliam meliorem vitam assumas me,
in qua tecum per omnem æternitatem beatus sim. Domi-
ne Deus meus, ecce pronus & supplex adoro te, & subji-
cio me tibi usque ad imum nihili mei; secundum infini-
tam, & interminabilem distantiam tui à me: tu inquam,
qui solus & omnia es, à me qui ex nihilo, & nihil sum
coram te. Laudo, & benedico te fontem omnium bono-
rum, & quia vis amari à me, & cor meum avidissimè po-
stulas, illud tibi totum cedo & dono, ut jam meum non
sit, sed tuum cor, nihilque mei, aut sui amoris habeat, sed
tantum tui: imò jam non ego amem te, sed tu ipse te ames
corde meo, jam non meo sed tuo. Ama te illo ardentissi-
mè, Creator meus, & omne bonum meum, ama te,
quia dignus es: utere illo ad omne arbitrium tuum, post-
posito omni arbitrio meo, quod in tuum transfero, ac
tuæ prorsus voluntati trado, permitto & resigno.

11. Sed cur tantopere cor meum desideras Deus meus?
quia nimirum pro nihilo habes ore & lingua diligi, si cor
tecum non sit. Hoc est quod vis, & petis, nec quem-
quam admittis in partem possessionis ejus. Ideo præcipis
mihi, ut convertar ad te in toto corde meo, ut toto corde
te quæram, toto corde te diligam te sequar & obediam
tibi. Dignus enim es omni amore, quia omnis bonitas

& perfectio, omnisque ratio amabilitatis in te est, & tu prior dilexisti nos. Dilexisti nos indignos amore & dignissimos odio, quia sic fuit placitum ante te. Quasi enim non haberes objectum in te, totum tuum amorem quantumvis infinitum adæquans, extendisti extra te amorem tuum & dilexisti me ab æterno propter immensam bonitatem tuam. Atque utinam, Domine Deus, tantum tibi amorē rependere possem, quantum mihi impendisti: quàm libenter te amarem amore immenso, infinito, inenarrabili! Sed miser sum & pronus ad malum ab adolescentia mea; nec possum qualitercumque amare te, nisi tu dederis mihi, ut amem te. Da igitur quod jubes, & jube quod vis. Hoc est enim omne bonum meum defursum descendens à te, amare te propter te solum qui dilectione dignissimus es: nec præter hoc bonum aliud bonum volo, aut cognosco.

III. Utinam nulla hæcenus fuisset, nulla deinceps sit vitæ meæ actio, nulla corporis & animi motio, nulla functio sensuum & potentiarum, nulla virium exercitatio, quæ non fuerit, aut sit ad maximam tui gloriam, amorem, cultum & oblectationem, cooperante & offerente Filio tuo, sine quo nihil sum, nihil possum. Hoc volo, hoc desidero, hoc intendo; & incipiendo ab actione ista, quam hoc momento ago, reliquas omnes & singulas usque ad ultimum halitum vitæ meæ, & per totam æternitatem tibi offero per Filium tuum: & si quam in particulari offerre omisero, id quæso ut tribuas oblivioni meæ, & incogitantia; & hoc præsens propositum respicias, in quo semper perseverare, & quoties respiravero, id semper renovare cum perpetuo amoris in te mei augmento opto & desidero. Utinam instar thuris, & thymiamatis totus consumar in purissimum & acceptissimum divinæ Majestatis tuæ holocaustum, cum omni afflictione & contemptu, & perfecta mei abdicatione in omnem voluntatem, & beneplacitum tuum, sine ulla proprii commodi admixtione. Amen.